



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

Viro Clarissimo D. Stephano Weymsio I. V. Doctori, Et In Lovaniensi
Academia Antecessori Primario, Antonivs Faber Svpremi Concilii Sabavdici
Præses Primarius P. S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

VIRO CLARISSIMO
D. STEPHANO WEYMSIO
I. V. DOCTORI, ET IN LOVANIENSI
ACADEMIA ANTECESSORI PRIMARIO,
ANTONIVS FABER
SVPREMI CONCILII SABAVDICI PRÆSES
PRIMARIVS P. S. D.

Accepto praeleganti gratissimoq; illo munere Consiliorum Iureconsulti Clarissimi IOANNIS VVAMESII affinis tui, Vir Clarissime, quod ex liberalitatis tuae dono charissimus filius tuus, idemq; mei amantissimus, exhibuit; postulabat certè officij mei ratio, ut qui debitas referre non poteram gratias quàm amplissimas, haberem saltem quàm promptissimas; tantiq; meritis dignitatem, quam remuneratione vlla assequi non dabatur, veneratione tamen & commendatione atquâ sublequerer. Fecissemq; haud dubiè, si non fuisset visum convenientius, ut ille ipse, qui munus obtulerat, meas etiam ad te referret litteras, tanto suavioris futuras tibi, ut sperabam, & gratiores. Itaq; expectandum fuit tempus, quo tunc recederet, quod etsi fuit paulo longius, quam credebamus, mihi tamen tantò felicius contigit, quod & suavisima filij tui consuetudine frui diutius licuit, & totum illud Consiliorum insigne volumen, quod ego primum maiore quàm credi ferè possit aviditate, percurreram, maiore subinde otio iudicioque relegere, gravitatem & excellentiam operis propius intueri, & in tanta Quaestionum varietate mirram perpetuamque Responsorum subtilitatem suspicere, exuberantem Iuris utriusque, id est rerum omnium divinarum ac humanarum peritiam, admirari, cum eâ sermonis elegantia ac facilitate coniunctam, quam nescio ex tot Consulentiibus, quos ætas nostra & adorum tulit, an (uno excepto Cuiacio) quisquam fuerit assecutus. Quid addam? Habes iam meum de tanto opere iudicium, quale ab ingenio exiguo, sed ab ingenio tamen & candido laudatore, non subdolo adulatore, expectare debuisti. Addendum nihilominus aliquid, ut mihi potius, quàm tibi satisfaciam. Mallem plura VVAMESII, quàm Menochij ac nescio cuius Burlati, aliorumque huiusmodi, quos pro nobilioribus scriptoribus habet Italia, extare volumina Responsorum: ut de Pliny & Ciceronis epistolis Vester Lipsius quodam loco verè scripsit. Quare si quid apud te possum, Vir Clarissime, & pro eâ quâ bonum publicum prosequeris voluntate, rogo & obtestor enixissime, ut cetera tanti Viri opera, huius præsertim generis, quæ in manibus habere te filius mihi retulit, eadem liberalitate effundas in publicam, neque bono & honori Iurisprudentiæ nostræ invidas, quod universa posteritas, si beneficio tuo videre poterit, felicitati ætatis nostræ, quæ tam eximium Iureconsultum tulit, si bene auguror, invidabit: tibi vero eas pro me quoque referet gratias, quas tam ingentis beneficij magnitudo à non ingratis animis sperare possit & debeat. Bene vale, Vir Clarissime, & FABRYM tuum, qui tantopere amat te & observat, redama. Dat. Lutet. Parisiorum 12. Cal. Septemb. 1619.

K k k 3



ERYCI